





B. C. D.

8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# HYDROPE PERITONÆI

QVAM

GRATIOSÆ FACVLTATIS  
MEDICÆ

ARGENTORATENSIS CONSENSU

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI MEDICORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES FRANCISCUS  
ADOLPHUS BLAW,

FRIBURGENSIS BRISGOUS.

AD DIEM 10. JUNII A. O. R. MDCCCLII.

H. L. Q. S.

---

ARGENTORATI

Typis HÆREDUM PAUSCHINGERIANORUM.

**DEO  
PATRONIS  
ATQUE  
AMICIS  
SACRUM.**



## PRÆFATIO.

Uod sanitatis atque vitæ in corpore humano constantia, non solum a debita vasorum majorum in sanguinem actione, ipsique inde conciliata divisione & circulatione dependeat, verum etiam a minorum vasorum justo tono, atque seri & lymphæ variae progressionis fluiditate ac jugi moru derivanda sit; nemo, nisi qui in Physiologia & Pathologia plane hospes est, in dubium vocabit. Quotiescumque vero sanguis in quodam loco, ob solidorum elaterem debilitatum, crassescens, vel stagnat, vel ruptis cataractis effunditur, fatalibus inde morbis, inflammationi potissimum in priori casu, in posteriori vero haemorrhagiæ tunc ansa præbetur. Et si serum aut lympha in parte quadam, ob tenuiorum canalium renixum, imminutum, spissescens, vel stases incurrit, vel extra alveos suos versatur, infarctum nunc, nunc aquarum in cavis collectionem eorumque tumorem, sive Hydropem, inde nasci palam est. Tot igitur hydropis species, quo intervallis corpus humanum concameratum est, agnoscere cogemur. Hydropes hinc capitis sive hydrocephalos, medullæ spinalis sive spinas bifidas, oculi, gutturis, pectoris, pericardii, articulorum, umbilici sive hydromphalos, abdominis sive ascites, uteri, ovarii, tubæ fallopianæ, scroti denique hydropes sive hydroceles, solliciti observatores litteris consignare soliti sunt. Cumque lympha, præter quod in magnas cavitates effundatur, & viscera illis inclusa inundet, in ipsis etiam viscerum vasis accumulari, eaque mirum quantum extendere, in cava notabilia elevare, hydatidesque effingere possit, cysticis

sticis hydrofibis insuper corpora nostra exposita esse; exempla hydatidum in cerebro, corde, pulmonibus, ventriculo, omento, pancreate, hepate, liene, mesenterio, intestinis, renibus, vesica, utero, ovariis & tubis Fallopii reperiarum confirmant. Imo, cum, musculis omnibus involucri loco data, tela cellulosa, cavernis innumeris interstincta sit, si ejusdem vasa lymphatica vel dilatantur, vel aperiuntur, & haec aquis repleri, ibique hydropes, veluti oedemata manuum, vel pedum, leucophlegmatia & anasarca sunt, oriri debent. Quemadmodum vero in extremitatum, aut in universi corporis, membrana cellulosa aqua intercus apparere frequenter quidem evenisse, sed a Medicis Practicis ordinarie pro ascite habitum, nec ab ea satis distinctum, aut bene cognitum fuisse, notandum est, donec solliciti primum DONATI de Med. Hist. Mirab. L. IV. C. 21. dein incliti TULPI industria, hydrops hujus exacta cognitio, ipsiusque ab ascite differentia, in Obs. Med. L. 4. C. 44. clare proposita fuerit, quos deinceps alii sagaces corporum scrutatores secuti sunt, & frequenter tumoris abdominalis causam, in aquis inter peritonaeum & musculos transversos harentibus detexerunt. De Hydrope Peritonaei ergo, adspirante DIVINO NUMINE, pro praesenti specimine inaugurali, exantlatis rite tentaminibus & examinibus doctoralibus, consentiente GRATIOSA FACULTATE MEDICA ARGENTORATENSI, differere constitutum est. Si vero & mihi B. L. forsitan aqua hærebit, te aquam perdidisse, & patientiam legendo exercuisse, doleo.

## §. I.

**R**emota cute abdominis, ipsiusque membrana adiposa, ablatis etiam scite quinque paribus muscularorum, circumferentiam ejusdem efformantibus, separato  
præ-

præcipue caute, quo usque fieri potest, transverso musculo, membrana ampla, firma, albicans, elastica, tenuis, transparens, à visceribus subtus fluctuantibus in modum sacci extensa, iisque prætenfa, Peritonæum vocant, in conspectum prodit. Hæcce membrana jam apud Græcos, quod etymologia vocis probat, huic muneri destinata fuit, περιτόναιος χιτών enim, περιτόναιον ἴμνην, περιτόνειον, aut utri apud HIPPOCRATEM *Epid. VII.*, 13. in plurali legitur, περιτόναια, à περι circum & τένω tendo, vel secundum alios à τονδω intendo, firmo derivatur, idemque ac membranam alvum ac intestina ambientem, aut membranam partibus, quæ inter diaphragma & crura sunt, circumtenam, interpretibus significat. Hinc etiam Latinis tunica prætensa, oþperimentum prætensum, à CELSO de Medic. L. VII. C. 17. interior membrana abdominis, Germanis vero das Darm-Gell, der Darm-Sack, das Bauch-Gell audit. Ita vero peritonæum viscera abdominis circumscribere appetet, ut luperne, à facie inferiore costæ ultimæ veræ omniumque spuriarum & diaphragmatis, ubi quidem vertex peritonæi à GALENO de Anat. *Adm. L. V. C. 8.* nuncupatur, incipiat, ibi latum compressumque existat, pergit, anterius in medio & ad latera globosum fiat, atque ubique transverso musculo substernatur, posterius vero vertebris sex ultimis dorsi & quinque lumborum accumbat, ac complanatum sit, postea latitudine paulatim decrecente, ante musculos psoas & iliacos descendat, sicque usque ad vesicam Uariam & intestinum rectum tendat, ibique obtusus ipsius finis ab ossibus pelvis fulciatur: ita ut ex hacce sua sede una cum visceribus contentis exemptum peritonæum, saccum pyriformem intuentibus exhibeat, quemadmodum huncce sic efformatum saccum, uti & circumferentiam ipsius Illustris de HALLER in aureis *Comm. in Boerb Præl. Inßt. T.I.* p. 306. & HENSING in *Diss. erudit. de Peritonæo Giess.* 1742. defensa §. 1. accuratissime descripsérunt.

## §. II.

Si exterior hujus operimenti prætensi facies exacte oculis perlustratur, fibroſa, aspera, inæqualis & multis cellulis interſinēta deprehenditur. At, si cultro anatomico fīſum, interior ejus ſuperficies inspicitur, lāvis, polita & æqualis observatur. Exinde vero ſtructura peritonæi, licet a multis Anatomicis minus adæquate tradita fuerit, ſatis clare innotescere videretur. Ex unica quippe vera lamina, membranacea, interiori, polita & lāvi, qua viſcera reſpicit, peritonæum conflat, cui ea parte, qua exteriora ſpectat, ſubſtantia reticulata, cellularis, DOUGLASSIO & iſiſus interpreti EL. FR. HEISTERO, referente *Comm. Litt.* 1733. p. 342. veficularis vocata, instar apophyſis fibroſæ, juxta WINSLOU *Exp. anat. de la ſtruct. du corps hum.* T. IV. P. I. §. 24. adhāret. Et mediante hoc follicoſo teſto peritonæum diaphragmati, muſculis transversi abdominalibus & lumbaribus undique accrebit, eo quidem modo, ut in illis locis, ubi transverſi nominati muſculi in aponevroses ſemilunares expanduntur, & in lineam albam coeunt, ſubſtantia cellularis parcissima & tenuiſſima exiſtat, earumque faciei inferiori peritonæum arctiſſime adnectatur. *Transverſis enim muſculis,* inquit VESALIUS *de Corp. Hum. Fabr.* L. II. C. 31. *peritonæum, ſeu membrana nutritioni famulantibus organis circumpoſita, adeo valide ſubnafcitur, ut arduum fit, illos ab hac, idque potiſſimum in homine, illaveros liberare, quod GALENO Anat. Adm. L. VI. C. 4.* jam perſpectum fuſſe legimus, conferatur etiam ERN. HENR. WEDELII diff. docta *de Peritonæo Ienæ 1696.* habita p. 8. & GARENGEOT *Anat. des Viſcer.* T. I. p. 175. Idem firmus nexus in centro tendineo ſepti transverſi peritonæo itidem hoc modo evenit. Econtra vero, ubi carni transverſi, iliacis & pſois muſculis adjacet, per confequens in partibus lateralibus & posterioribus, crassior & copiosior hæc ſubſtantia veficularis reperitur, ibique per reticularas fibras in ſepta separata, & ob plura ſtrata in cumbeſtia foliacea appetat, flatuque ubique

ubique distendi potest. Inaequalem hancce crassitatem diversamque teneritatem optime WINSLOW *l. c.* §. 28. & 29. GARENGEOT *l. c.* p. 176. HENSING *Diss. cit.* §. 4. & 16. ac BÜTTNER *Diss. de Peritonæo Regiom.* 1738. defensa, & in HALLER. *Coll. Disp. Anat. T. I.* reperiunda, notaverunt, qui ultimus §. 3. memorat, quod RIOLANUS *Anthrop. in L. 2. C. 10. peritonæum in viris a mucronata cartilagine ad umbilicum usque,* at in feminis ab umbilico ad pubem validius esse, animadvertisit, & hoc factum esse putatur in viris, potissimum crapulæ deditis, propter ventriculum nimis dilatandum, & in parte superiori ab illis varia onera ferenda & sustinenda, in feminis vero gravidis, quo, dum fætus augetur, magis distendi possit peritonæum.

### §. III.

Hanc peritonæo superstratum cellularum telam abhinc longo tempore Anatomici nomine membranæ, laminæ, sive tunicæ externæ peritonæi insigniverunt, atque eidem duplice membranam attribuerunt. At follicosam hanc substantiam nequaquam veræ & peculiaris membranæ nomen tueri posse, cum non, uti membranæ indoles exposcit, fibrarum juxta longitudinem & latitudinem arcte sibi appositarum textum, sed solummodo cavernularum & areolarum congeriem referat, facile cognoscitur, & ab authoribus modo nominatis, quibus jam VESALIUS *de Corp. hum. fabr. L. V. C. 2.* deinceps RUY SCH *Cat. Rar.* p. 131. facem prætulit, optime agnoscitur. Quid quod, non ad peritonæum unice pertinet cellularis hæc substantia, nam, cum omnibus musculis vasisque tela quædam cellulosa circumducta sit, uti in HALLER. *Prim. Lin. Physiol.* §. 18. videre est, hæcce peritonæo adnata cellulosa substantia, communis illius strati portio tantummodo existit, quemadmodum manifeste hoc communicatio ipsius superius cum musculis pectoris, & circa diaphragma per foramen quadratum & ova le atque ante vertebrales lumbares cum pleura, inferius cum fascia lata & femoris musculis, nec non cum ischio & bulbo

bo cavernosis, posterius cum musculis psois & iliacis, patet; quam quidem communionem, nemo exactius, quam Cel. HENSING Diff. de Peritonæo §. 5. in apricum produxit. Idcirco vero potissimum cellulosa peritonæi substantia membranæ peculiaris titulo condecorata fuisse videtur, quod illo in loco, ubi annulis musculorum abdominalium, uti &, ubi vertebris lumborum accumbit, non solum compacta admodum, verum etiam huc illuc in plurima strata lejuncta & expansa sit, quæ, dum capsulas suprarenales, renes, ureteres, medium partem duodeni, inferiorem portionem intestini recti, vesicæ Uariæ anteriorem partem, vasa deferentia, aortam, venam cavaam, nervos intercostales & ductum thoracicum involvit & ambit, formulæ illi Anatomicorum solenni, qua haecce organa extra saccum peritonæi in duplicatura ejusdem locari asserebant, ansam dedit. Quæ quidem locutio, si inter duplice substantiæ cellulose laminam, adeoque inter duplicaturam substantiæ cellulose peritonæi eadem sita esse intelligunt, retineri, nequam vero, si inter duplice ejusdem membranaceam laminam collocari statuant, tolerari poterit.

## §. IV.

Hæc vero cellulosa peritonæi portio non solummodo nominatis organis, in posteriori cavitatis abdominalis locatis, vestitum largitur; verum etiam variis canalibus, ex abdome egredientibus, involucra impertitur, cumque illos exentes in itinere comitetur, processuum peritonæi exterritorum nomine a WINSLOO l. c. §. 32. sqq. iidem insigniuntur. Ita vasa spermatica in potiori sexu, & in sequiori funes vasculosi, ligamenta uteri rotunda dicti, quando per annulos musculorum abdominalium egrediuntur, a tela fibrosa peritonæi vaginas, sive processus duos, acquirunt. Arteria & vena cruralis quando sub ligamento FALLOPII e pelvi emergunt, itidem duobus inde processibus instruuntur. Et vesicæ Uariæ cervix, imo ipsa urethræ membranacea pars & bulbus juxta

juxta GARENGEOT l. c. p. 181. pariter processu tali dotatur. Quibus quidem quinque processibus externis Acutissimus WINSLOW l.c. §. 32. sextum, qui intestini recti partem insimam investit, adhuc annumerat, illum tamen, cum, uti reliqui, extra abdomen non progrediatur, nomine hocce dignum minime reputamus. Sexti potius processus titulum peritonaei substantia cellulosa merebitur; quæ, juxta DOUGLASSIUM, in foetu per umbilicum transiens, vasa umbilicalia extra abdomen usque ad placentam comitatur, ipsisque pro involucro infervit, & quæ juxta interpretem EL. FR. HEISTERUM in chorion usque producta illud constituere, uti ipsa membranacea substantia amnion efficere, creditur, recensente *Commerce Litt.* 1733. p. 343. qui tamen processus, foetu in lucem edito, & funiculo ligato, deinceps coalescit & occluditur.

## §. V.

Quemadmodum vero tunicae prætensiæ exterior, cellulosa substantia, tam interius, quam exterius variis partibus prospicit, processusque efformat; ita ipsa interior membranacea ejus substantia, sive vera lamina peritonæi, dum introrsum recedit, in se ipsam replicatur & duplicatur, visceribus chylopœis, ventriculo nempe, intestinis, mesenterio, hepati, vesicæ felleæ, lieni, pancreati, omento, vasisque hic pertinentibus, arteriæ cœliacæ, mesentericæ superiori & inferiori, capfulæ Glissonii, venæ portæ, utero etiam, ovariis, tubis Fallopianis, renibus, vesicæ, vas denique umbilicalibus vaginas, involucra, firmamina, & quoad maximam partem, primas tunicas, aut veluti aptissime VESALIUS L. V. C. 2. jam dixit, *processus in tunicas dilatatos degenerantesve*, quos bene processus tunc peritonæi internos vocaveris, concedit. Utique ergo juxta GALENUM de *Usu Part.* L. IV. C. 17. nullum est sub pluribus instrumentum, quod non operiatur aliqua tunica, initium generationis a peritonæo sumente. Hæc nunc nominata viscera, chylopœa præcipue, a peritonæi vera membrana sic involuta, in cavitate sive fac-

co peritonæi ab antiquis Anatomicis inclusa esse dicebantur, verum enim vero, quoniam replicatum primo, dein excavatum & quasi duplicatum peritonæum est, sicque viscera & organa nominata involvit & includit, intra duplicaturam potius membranæ propriæ peritonæi illa contineri statuendum erit, quatenus cum Cel. HENSING *Diss. cit.* §. 17. *duplicatura nibil aliud, quam introcessio parietis peritonæi in cavitatem suam propriam, pro inclusione quorundam viscerum atque vasorum*, aut juxta WINSLOW. *I.c.* §. 35. ejusdem ex convexitate facci in concavitatem suam recessus, est, nullumque viscus in sacco peritonæi sive cavo communi reconditum esse, quin potius peritonæi saccum plane vacuum, aut si illam locutionem deserere nolis, quot viscera, tot saccos a peritonæi membrana formatos, adesse, dicendum erit. Hinc etiam ipsa peritonæi *foramina*, bene annotante HENSING §. 52. *nihil aliud, quam impressiones & introcessiones ejusdem*, nequaquam autem veræ & perforatæ aperturæ existunt. Sic ergo, quot viscera idem includit, tot foramina, tot introcessiones, tot plicas, tot figuræ, visceribus inclusis exacte respondentes, in peritonæo observare licet, imo tot diversis modis, peritonæum dum replicatur, se ipsum annectit. Hinc modo sibi arcte applicatur membranacea peritonæi lamina replicata duplicataque, & sic varia vincula efformat, qualia hepatis suspensorium, ipsius dextrum & sinistrum ligamentum, lienis vinculum, duodeni initium, coli ligamenta, tam in dextro, quam in sinistro latere, uteri cum vesica & intestino recto nexus, ejusque vela lata existunt. Modo in saccos amplos recedit, uti in hepate, vesicula fellea, ventriculo, liene, pancreate, renibus, vesica, utero, ovariis & tubis videre est. Modo laminas duas, primitus sibi appressas, deinceps a se mutuo recedentes, & fistulam longam includentes, format, quod in mesenterio & intestinis ita accidere solet. Modo in vesicas, aliis visceribus accretas, expanditur & conduplicatur, uti in omento magno æque ac parvo, ac in appendicibus epiploicis coli observatur. Modo vaginas exhib-

exhibet, vasis, ne nuda decurrant, proficuas, hoc in arteria cœliaca, mesenterica superiori & inferiori, & vena portæ ventrali obvenit, præcipue vero venæ portæ hepaticæ capsula Glissoniana hunc usum fœnerat. Modo falces recessus que format, in his plicis vena umbilicalis, in aliis vero quælibet arteria umbilicalis & urachus custoditur: huncce vero vasorum umbilicalium recessum falciformem a duplice lamella peritonæi oriri cum Cel. HESTERO in *Comp. Anat.* p. 76. tamen statui non debet. Quamvis vero peritonæi membrana vera visceribus abdominalibus amictum tradat, non tamen in omnibus aequalis densitatis eundem esse, notandum est. Viscera enim, quæ magnam extensionem pati debent, veluti ventriculus, intestina, vesica, uterus sunt, crassioribus tunicis, quam hepar, lien, pancreas & alia, exponente WEDELIO *Diss. cit.* p. 15. velantur. Sed illud ubivis evenire deprehendimus, quod ubiunque membrana peritonæi in se recedere, viscusque quoddam investire solet, nunquam non sibi adhaerentem substantiam cellulosam secunducat, quæ vero tunc interiora occupabit, ideoque in visceribus his tunicæ ipsorum primæ, externæ, & membranaceæ, a peritonæo proveniente, follicosam semper telam substratum deprehendere licet. Ulteriora de productionibus membranæ interioris abdominis, & modis, quomodo illæ efformantur, apud WINSLOW *I. c.* §. 36. sqq. GARENGEOT. *I. c.* p. 191. sqq. DOUGLASS *I. c.* p. 343. HENSING *Diss. cit.* §. 18. sqq. BÜTTNER *Diss. not.* §. 5. WEDEL *Diss. alleg.* p. 14. occurunt.

### §. VI.

Quo membranaceum hoc involucrum durabile, firmum, & elasticum manere queat, a varii generis vasis ipsi nutrimentum advehitur, roburque procuratur. Etenim ob amplam suam affinitatem pariter ac vicinitatem, a multis partibus arterias hinc & inde mutuatur, & anterius mammariæ externæ æque ac internæ, superius diaphragmaticæ & cœliaca, in medio intercostales inferiores, mesenterica supe-

superior & inferior, lateraliter spermatica & iliacæ internæ, posterius renales, atrabilariæ, lumbares & sacræ, & inferius epigastricæ, imo crurales, ipsi ramos & surculos suos imperiuntur: videsis WINSLOW *Traité des Arteres* §. 229. & 232. HALLER *Comm. in Præl. Boerb. Inst.* T. I. p. 307. WEDEL *Diss. cit.* p. 12. HENSING *Diss. cit.* §. 11. BüTTNER *Diss. all.* §. 8. Hæ vero arteriæ in membranam hanc advenæ in laterales sanguineas, in serosas, dein in lymphaticas sensim sensimque subtiliores, tandemque in capillares arteriolas se- & excretioras, excurrunt, quarum quidem oscula potissimum in internam ipsius superficiem, abdominisque cavum sese aperiunt, roremque ibidem tenuem continuo exhalant, qui madidum & flexile textum hoc conservat, ne exsiccum fiat, nec rupturam incurrat, qui viscera abdominalia etiam lubricat, atque ab attritu & à concretione defendit. Quamvis alii laticem hunc tenuem ex glandulis cum GARENGEOT *l. c.* p. 183. depluere contendant, quarum tamen existentiam potius cum RUY SCHIO *Adv. Anat. Dec. I.* p. 13. & WINSLOO *l. c.* §. 27. negare, & statum quandam p. n. vasorumque horum obstructa oscula glandulas mentita fuisse, asserere malumus. Aperte quippe ex osculis peritonæi inversi, digitis impositi, guttulae liquidi protrudi & exprimi poterunt. Non solum vero exhalantia, sed & multa bibula oscula in peritonæi superficiem internam hiant, hæc venarum lymphaticarum initium existunt, & vaporem internum reforbent, eumque venis aliis majoribus, lymphaticis, serosis, tandemque sanguineis reddunt. Ipsæ vero sanguineæ simul cum lympha cruorem, à nutritione & excretione residuum, reducunt, atque ex peritonæo egressæ, eundem in venas, quæ eadem cum arteriis nomina gerunt, evomunt. Nequaquam vero omnem peritonæi lympham sanguini ex eodem refluxo permisceri, sed notabilem ipsius quantitatatem per peculiaria vasa lymphatica venosa, e glandulis sacræ & iliacis emergentia, a peritonæo ad cisternam lumbarem deferri, ibidemque deponi, NUCKI experimentis,

tis, *Adenograph. Curios* p. 98. & 129. in cane institutis, contra Anatomicos, hæcce vasa negantes, evictum fuit. Nec nervis hæc membrana destituitur, hos quippe à vicinis dia-phragmaticis, coronariis, stomachicis, plexu cœliaco, hepatico, splenico, plexibus mesentericis, renalibus, ab intercostalibus, dorsalibus, lumbaribus & sacris nervis accipit. VESALIUS ideo *de Corp. Hum. Fabr. L. V. C. 2.* quod peritonæo medici tactus sensum adimant, ridendum potius, quam refellendum est, inquit, quum una cum illis quæ transmititur organis, frequentibus quoque nervis viam offerat, à quibus surculos adipiscitur, idque ab iis potissimum qui abdominis distribuuntur muscularis. Et nerveæ atque tendinosæ hæc peritonei fibrae diversis in locis diversam directionem, notante HENSING *Diss. cit. §. 9.* observare solent, mox oblique, mox longitudinales, diverso modo se se decussantes, quæ multis in locis tales figuræ repræsentant, quæ in plano tendinoſo diaphragmatis observantur. Ab his vero nervis non solum peritonæi sensus, elater & robur, verum etiam origo secundum plurimos Anatomicos deducenda est. Quamvis enim veteres teste VESALIO. l. c. peritonæum ex ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, & quæ sacrum os ilium ossibus committunt, principium vulgo ducere, statuant; alii vero a dura matre, quemadmodum omnium in corpore membranarum ortum, ita nostratis derivent; aut à cordis membrana aliis; iterumque alii a diaphragmate ipsius generationem conquerant; uti in BÜTTNERI *Diss. cit. §. 2.* & WEDELII *Diss. p. 10. & 11.* videre est, rectius tamen à vicinorum partium nervis natales accepisse, asseveratur. Hinc FALLOPIUS *Obs. Anat. Opp. p. 458. a plexu illo nerveo gemino, unde mesenterium exordium suum cepit, nostrum etiam nasci dixit.* Follicosam vero apophysin peritonæi, telæ cellulosa communis, toti corpori, præcipue vero muscularis superstratæ, continuationem existere, admodum probabile est. Cumque in illam etiam surculi arteriosi è membranacea substantia se se immergant, hi in laterales angustioresque canaliculos

extenuati, in adiposos tandem ductus ibidem degenerant, qui perpetuo à sanguine oleum in cellulas has, perinde utri in aliis corporis partibus illud fieri solet, deponunt, unde quidem flexibilitas fibris peritonaei nerveis conservatur, ne tamen nimia olei quantitate obruta membrana peritonaei relaxetur & agravetur, superflua assiduo portio à venis bibulis resorpta venis sanguineis refundi solet.

### §. VII.

Ex his vero, quæ de peritonaei fabrica hactenus dicta sunt, usus ejusdem facile determinari potest. Præcipuum ille est, cum visceribus chylopœis aequæ ac spermatopœis & uropœis prætendatur, ut eadem quasi in sacco includat, & ne prolabantur ac indecora promineant, contineat, ut illa investiat, comitetur & firmet, tunicas, processus & ligamenta ipsis largiendo, utque, cum circumtensum hoc operimentum nerveum, per consequens forte & elasticum sit, propugnaculum nominatorum viscerum existat, quod à pressione & vi externa eadem defendat, quod imperum quem integumenta & musculi abdominales accipiunt, ne visceribus communicetur, sustineat, ei resistat, & vim vi repellat, unde etiam GALENO de *Uso Part. L. IV. C. 9.* *diaprysmaτος*, hoc est, ut septi, inter haec ipsa & musculos extrinsecus incumbentes se habere, dicitur. Ut etiam elatere suo & vi contractili propriæ lenem quandam pressionem ventriculo & intestinis inferat, sicque digestionem & chylificationem, chylique propulsum in oscula lactea adjuvet, & diaphragmati, cui in inspiratione in abdomen descendenti, & viscera abdominalia extrorsum prementi, cedere cogitur, collectis undique viribus renitatur, viscera que nominata retrudendo idem sursum in thoracem repellat, sicque exspirationem inducat. Ut intestinum rectum & vesicam *θαρια* premendo, excretionem *θηνæ* & fœcum alvinarum acceleret, ut uterum in sexu sequiori comprimendo, fœtus exclusionem strenue opituletur, partusque nego-

negotium matureret, secundum etiam partum & placenta<sup>e</sup> exclusionem promoveat. Cum rore perpetuo interius madidum fiat, ut vapore hocce viscera cuncta, quibus prætextum est, lubrica conservet, & à concretione mutua custodiat. Quemadmodum pinguedo, quæ in cellulosa ipsius substantia colligitur, organis, quæ à tela hac vestitum acquirunt, flexibilitatem & mobilitatem fœnerare, ipsisque una cum tela, in quam confluit, involucrum molle & tum conciliare solet.

### §. VIII.

Quamdiu igitur membrana peritonæi, & quæ in illo decurrunt vasa, sive sanguinea, sive serosa, sive lymphatica, sive adiposa sint, naturali & debito suo elatere gaudent, tamdiu usus præfati facile & constanter exercebuntur, præcipue vero liquorum in vasis contentorum circulus liber, æqualis & continuus continget, secretio, excreatio & nutritio optime ibidem procedet, lympha æque ac sanguis munere suo functus ex arteriis in venas haud interferruto cursu recederet, novusque vicissim appelletur. At, quotiescumque vasorum in peritonæo distributorum tonus minuitur & superatur, ut in fluida contenta non amplius vi satis valida agere, illa conquassare, attenuare & propellere possint, ex deficiente hac canalium actione systaltica, liquidorum hujus loci spissitudo, lensor aut plane quies, ut inducatur, necesse est. Sanguis ergo serumque in arteriis suis impedit progredietur, lymphæ in membranacea, & olei in cellulosa peritonæi substantia secretio imperfecte perageatur, reditusque humorum per venas difficultissimus fiet. Mirum quantum hinc aqua sanguinis, rubicundæ ipsis parti minus bene immista, in peritonæi vasis serosis & lymphaticis accumulari, eadem extendere, aut e nimium distentis, & disruptis, osculisve ipsorum ultimis, in cellulas & spatium inter peritonæum & musculos transversos, crumpere, statimque p. n. ibidem inducere debet. Quocunque vero modo,

modo, quocunque etiam in loco peritonæi aquarum colluvies contingit, semper ab aquis inibi stagnantibus eidem incumbentes musculi transversi æque ac reliqui abdominales, ipsumque abdomen limitans cutis, in tumorem attollentur, siveque abdomen mire prominebit, & ultra suam magnitudinem p. n. augebitur. Sic vero ille morbus in membranaceo hoc involucro nascitur, quem Hydropem Peritonæi Pathologi vocant, & quod sit tumor abdominis, ab aquis, in peritonæo collectis, & incumbentes musculos abdominales ac cutem ultra naturalem suam magnitudinem elevantibus, originem ducens, definiunt. Nam ubiunque in corpore tumorem ab aquis videre licet, a Græcis vocibus ὑδροψία aqua & ὕπτροπαι video, eundem hydropsis nomine Medici insignire solent. Peritonæi hydrops Germanis die Wassersucht des Bauch-Fells, Gallis *Hydropisie du Peritoine* audit.

## S. IX.

Enim vero quemadmodum omnis corporis nostri humor, si in vasis nimium debilitatis abundat & stagnat, liquidi impetu continuo a tergo urgente, regressu vero per venas intercepto, vel in vasis magis magisque distentis, ex conica aut cylindrica in sphæricam figuram ampliatis, & in faccos tumefactis, accumulari, vel ex iisdem, nunc ultra modum expansis & crepatis, nunc lateralibus canaliculis osculisque ultimis dilatatis erumpere, errorem loci incurrire, siveque vel in cavis, vel in cellulis colligi solet; ita etiam si serum ac lympha in peritonæi vasis debilitatis impeditur, & stagnat, aut in vasis suis distentis colligerur, aut ex iisdem effundetur, siveque duplicitis speciei tumorem sive hydropem ibidem inducit. Unus enim hydrops peritonæi cysticus, sive faccatus est, quando serum aut lympha in vasis serosis lymphaticisve, membranaceam potissimum ejus substantiam perreptantibus, elatere orbis, accumulata, eadem mirum in modum ampliat, in hydatides, hoc est vel in vesiculas minores & varices, vel in vesicas majores & faccos distendit, siveque musculos abdominales & cutem pariter in

in tumorem attollit. Hydropem talem cysticum, sive hydatidas has, censente RUYSCHO *Adv. An.* Dec. I. p. 7. *extremi-  
tates vasorum sanguiferorum, quæ priorem suam mutaverunt  
naturam, atque in vitiosam degeneraverunt fabricam,* esse, asserere non dubitamus. Nec exempla hydatidum, seu vesicularum sero repletarum, quæ omni nexus liberae, & in aliis vesicis fluctuantes deprehensa fuerunt, uti COMM. ACAD. PETRO-  
POL. T. I. p. 380. MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. A. 1722. p. 163.  
& E. N. C. Volum. VIII. p. 390. fidem faciunt, quæque co-  
ctione diffluxerunt, uti E. N. C. l. c. p. 391. recensent, vel  
juxta MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. 1719. *Hist.* p. 39. in aqua  
solutæ, quiete in gelatinam abierunt, unde quidem omnium  
hydatidum pelliculas nequaquam organicas partes esse,  
sed ex muco concrevisse, quidam authores concludere voluerunt, contrarium probant: *nihil enim, Illustri VAN SWIE-  
TEN Comm. in Aphor. Boerhaav. T. I. p. 166. arbitro, repugnat, quin & naturales folliculi aqueo humore distenti expandi possint in magnam molem.* Alter hydrops peritonæi in-  
undans existit, quando in peritonæi vasis inertibus concur-  
rens aqua, vel per omnes lymphaticorum vasorum pede-  
tentim dilatatorum classes progreditur, tandemque per os-  
cula ultima, in statu naturali  $\textcircled{O}$  in cellulosam substantiam  
peritonæi emittentia, erumpit: nam *serum*, notante bene  
CAR. PISONE in utilissimo libro *de Praeterv. hæc tenus Morb. ab  
aqua pendentibus.* p. 333. *sponte exudare atque e vasis exsiliare,*  
*nisi prius attenuatum a majore calore non potest, vel cerre in-  
cuneatum & majore quam par sit aggestum copia,* adeo ut cum  
propriis conceptaculis facile contineri nequeat, quodammodo quæ-  
re cogatur exitum: vel per rupta plane, ob nimiam expan-  
sionem, vasa effluit. Unde quidem utroque modo semper  
cellulae peritonæi replentur, sicque inundationem hæc mi-  
crocosmi regio incurrit, quumque aquæ ibidem confluentes  
dilabi non possint, itidem musculos abdominales & cutem  
inde prominere necesse est,

## §. X.

Quod autem revera aquæ in peritonæi vel vasis, vel cellulis, cumularæ, superstratos musculos abdominis, ejusque cutem in tumorem attollere, sicque hydropem peritonæi inducere possint, plurimæ Anatomicorum & Practicorum observationes, sectionibus cadaverum suffultæ, nos edocent. Et ab eo demum tempore morbus hic distinctius cognosci, nec amplius cum hydrope ascite ita frequenter confundi cœpit. MARC. DONATUS jam morbi hujus ideam clare perspectam habuit, cum in *Med. Hist. Mirab.* p. 155. dicit: *non me proprium locum aquæ in hydrope cavitatem magnam abdominis internum esse Gal. 5. de loc. affect. c. 7. & P. de natural. facultat. cap. 13. nihilominus & intra peritonæum, ac reliquas partes inferiorem ventrem constitutis, aquæ portionem pluries reperiri ex sectione comprobatum est.* Et, quamvis sic TULPIUS cum *Obs. Med. L. IV. C. 44. rarum atque inauditum hoc hydropis genus non meminerit legisse, in utilis Medicorum monumentis, sed solo duntaxat auditu intellexisse, a Viro præclaro GUILIELMO STRATENO, Principi Arauacionensi a Medicinis, nescius, quod DONATO jam de hoc morbo constiterit, perperam se primum illum distincte cognovisse arbitratus sit, primus tamen semper, in quantum novimus, qui accuratam de eo observationem consignavit, quique nomine peculiari hydropis peritonæi morbum hunc insignivit, extitit. Hujus vestigia vero alii dein seduli corporum humanorum indagatores ad hunc usque diem preffrerunt, itidemque exactas de eodem historias exaraverunt. In eo tamen omnes fere autores hallucinatos fuissé non diffidendum est, quod aquas, sive effusæ, sive in fassis collectæ fuerint, in duplicatura peritonæi hasissæ, asseveraverint, quæ quidem locutio, ex errore illo facile condonando, qua dupliciti vera membranacea lamina peritonæum instrui, & qua cellulosam substantiam peculiarem membranam existere, vel qua juxta ALLEN *Syn. Univ. Med. Pract.* p. 294. tendines muscularum transversalium multis imposuerunt, ut ad duplicaturam peritonæi*

ritonæ illos referrent, profluxit, cum potius, si cysticus peritonæi hydrops est, in vasis membranaceæ potissimum substantiæ, si inundans, in cavernulis cellulofæ ejusdem substantiæ sedes ipsius statuenda sit. Hoc etiam hic adhuc annotandum venit, quod, ab aquis ita repletum peritonæum semper admodum crassum, atque durum in sectionibus cadaverum deprehensum fuerit. Notabilis etiam plurimum illa quantitas aquarum, in his locis collecta, extit, imo, pro breviori vel longiori earum ibidem remora, coloris diversi, putridæ etiam, tetræ, purulentæ aut sanguinæ naturæ eadem fuerunt. Et prouti vel in fassis inclusæ, vel in cavernis effusæ erant, nunc inæqualiter partes incumbentes abdominis in tumorem sustulerunt, nunc æqualiter in globosam & saepe monstrosam magnitudinem elevaverunt, ut exempla notatu maxime digna, a nobis, in quantum angustia temporis permisit, congesta, hæc, quæ asserimus, testantur.

### §. XI.

De cystico peritonæi hydrope sequentes observationes occurunt. SCHENCKIUS *Obsrv. Med. L. III. de Hydrope* p. 431. in feminæ hydropicæ cadavere, abdomen grandius ac tensius multo ab umbilico infra, pubem versus, & acute ad peritonæum alba pinguedine contexrum, nulla muscularum carnea substantia interposita, sed vesiculis crebris majoribus minoribusque, aqua limpida referris, invicem cohærentibus, plenum deprehendit. RIVERIUS *Obs. communic.* Opp. p. 582. ex abscessu in dextra parte abdominis rustico orto & aperto, plus quam ducentarum vesicularum numerum, aqua repletarum, per plurium dierum spatiū egressum fuisse, a quo tamen convaluit, memorat. STALPART VAN DER WIEL *Obsrv. Ravior. Medicar. Cent. Post. Part. pr.* p. 298. de hydrope inter musculos abdominis & peritonæum externe in latere sinistro prorumpente, e quo plures ducentis vesiculæ ovoidrum instar gallinaceorum, sed molli & putida aqua repleteæ edu-

educebantur, tradit. LITTRIUS *Hist. de l' Acad. Roy. des Scient.*  
 A. 1707. Mem. p. 504. de femina refert, quæ abdominis  
 tumore hydroptico æquali affecta, spatio duorum annorum  
 13 vicibus paracentesin sustinuit, in prima operatione 36 lb.  
 liquoris, decocti caffé colorem æmulantis, in 8 sequenti-  
 bus puncturis 28 lb paululum clarioris & sero lactis simili-  
 lis liquidi, & in 4 ultimis 24 lb. crassi, fœtidi & laetæti humo-  
 ris emissas fuisse, atque post has ultimas paracentes, in par-  
 te superiore & anteriore regionis umbilicalis tumorem du-  
 rum, transversim protensum, se manifestavisse, cumque  
 tandem fatis cessisset, in sacco, qui ab hypogastrio usque  
 supra umbilicum ascendebat, magna quantitas liquoris, illi,  
 qui vicibus postremis educitus, similis, adhuc derecta fuit.  
 LAFAGE in the Philos. Transact. abridg'd by Jones Vol. V. p. 291.  
 puellam aperuit, quæ ad hypogastricam regionem in latere  
 dextro tumorem primo, dein totum abdomen in enormem  
 magnitudinem tumidum gestavit, ex cuius cadavere post  
 quam 72 lb. viscidi, obscuri liquidi eduxit, cumulum nota-  
 bilem vesicularum eadem materia repletarum, a peritonæo  
 assurgentium, observavit. GRAHAM in Trans. memorat. abridg'd  
 by Martyn Vol. IX. p. 187. in non maritata latus abdomi-  
 nis sinistrum magis tumidum habente, post mortem in hoc  
 latere glandulas copiosissimas, humore albicante, instar albu-  
 minis ovi, aliasque instar materiæ purulentæ repletas, supra  
 peritonæum invenit, ex magna vero vesica, quæ ad epigastrum  
 a peritonæo formata erat, 4 lb. liquidi obscuri coloris, in  
 totum vero 32 lb. exemit. GLASS in Philos. Transact. N. 482. p.  
 339. in virgine hydroptica dissecta saccum ingentis magnitu-  
 dinis, transversim anteriori parti peritonæi adhaerentem, per-  
 lustravit, ex qua antea 240 lb. aquæ, leviter instar decocti coffeæ  
 rinctæ, exceptit. LAUBIUS in E. N. C. Cent. 3 & 4. Obs. 162. in mu-  
 liercula, quæ spatio 10 mensium 16 distinctis vicibus paracen-  
 tesin sustinuit, & 720 lb. aquæ purulentæ perdidit, post mor-  
 tem 6 distinctos tumores circa regionem ventriculi, hepatis  
 & renis dextri in peritonæo confinxit. AL. CAMERARIUS E. N. C.  
 Vol.

*Vol. I. Obs. 160.* in obstetricie defuncta, quæ abdomen in sinistro latere infra umbilicum versus pubem protuberans gestavit, in peritonæo saccum magnum 35 lb. liquorinis glutinosi, fæculenti, continentem, confpexit. POHLIUS in *E. N. C. Vol. VIII.* p. 389. in femina, quæ abdomen supra umbilicum versus thoracem proruberans & acuminatum habuit, cultro anatomico post fata subiecta, utrem intra diaphragma & peritonæum revelavit, ex quo fere bis centum hydatides, sero extravasato & materia purulenta repletæ, quæque omnes fluctuant, nec inter se se, nec cum sacco cohæabant, proruperunt, insuperque cellulas peritonæi sero glutinoso fœtido turgescentes confpexit. RUVSCH *Adv. An. Dec. I.* p. 7. & *Theb. Anat. VII. N. 37.* peritonæum integre in hydatidum texturam conversum asservavit. THIEULLIER *Consult. de Medec. T. II.* p. 427. in hydropica, cui bis 36 lb. aquæ turbidæ eduxit, post fatum cystidem infra musculos abdominales invenit. RESPINGER in *Act. Helv.* p. 53. in rustica defuncta abdomen antrorsum, præcipue supra os pubis, insigniter protuberans annotavit, & saccum mens. 12 liquoris diluti, turbidi, flavescentis, subpurulenti, a peritonæo orti, continentem detexit.

### §. XII.

Ad inundantem peritonæi hydropisin hæ historiæ spestant. TULPIUS *Obs. Med. L. IV. C. 44.* 110 lb aquæ inter duas peritonæi tunicas apud feminam quandam latuisse, detexit. NUCKIUS *Aden. Cur.* p. 103. ex monstroœ magnitudinis ventre 95 lb. aquas, cerevisiæ Roterodamensis non dissimiles quoad colorem, in peritonæo absconditas fuisse, apud quandam observavit. RHODIUS *Obs. Med. Cent. III. Obs. 6.* hydropem spurium, ita peritonæi hydropem vocat, inter abdomen propriæ dictum & musculos, a SPIGELO notatum, in femina, ex qua humoris nigri lb 10 promanarunt, dicit. BLASIUS *Obs. Med. Rar. Obs.* 18, intra peritonæum & musculos imi ventris in virgine ex hydrope

defuncta ib. 29 aquæ reperit. HELLWIG *Obs. Phys. Med. Obs.* 82. p. 255. in matrona ventrem pubem verius præcipue tumidum & sub hypogastrio acuminatum habente, postquam exspiravit, inter peritonæi tunicam duplicatam aliquot mensuras serosi humoris subflavi, fœtidi, sustulit. SCULPTETUS *E. N. C. D. I. A. 4. & 5.* p. 178. in femina umbilici fastigium admodum elevatum habente, post mortem extra peritonæum ichorosæ humiditatis mensuras 54 sub-sedisse memorat. SCHROECKIUS in *E. N. C. Cent. 5. & 6.* p. 36. in hydropica abdomen in maximam, rotundam & æqualem molem extensem, & 76 lb. aquæ, lixivii colore tintæ, parum fœtentis, intra peritonæi duplicaturam vidit. BARTHOLINUS in *Act. Hafn.* Vol. 1. p. 194. memorat de tumore ingenti feminæ in dextro inguine paulatim subnato, & paracentesi curato, eductis aquæ simplicis pluribus mensuris, quem hydropem dextræ tubæ uteri fuisse autumat, hunc vero, arbitrio NUCKIO *I. c.* p. 112. potius hydropem peritonæi fuisse, argumenta ipsius allata non dubitare sinunt. BONETUS *Sepulchr. Anat. seu Anat. Pract. L. 3.* Sect. 21. p. 1091. ex BOGDANO de muliere, quæ abdomen turgidum circumstulit, mentionem facit, quæ defuncta intra musculorum abdominis tunicam & peritonæum ib. 20 amurcae fœtidæ exhibuit. HOLLINGS in *the Philos. Transf. abridgd by Jones Vol. V.* p. 294. feminam, quæ abdomen enorme, ad mentum usque protensum, per vitam gessit, aperuit, & in duplicatura peritonæi omnem aquæ falsæ & paululum pinguis, ultimo vero sanguinolentæ colluviem, 104 lb. sequantem, invenit. CHOMEL *Hist. de l'Acad. des Scienc.* 1728. Mem. p. 416. mulierem, quæ a suppressione lochiorum & repulsione lactis, ab umbilico versus partes laterales inferiores hypogastrii usque ad ossa pubis & inguina tumorem abdominis habuit, & quæ per umbilicum circiter 10 lb. serilactei, fœtidissimi emisit, tractavit & curavit, morbumque hydropem peritonæi, quem lacteum vocat, fuisse, summo cum jure affirmat. WEGELIN in denet Bresl.

Bresl. Natur und Med. Gesch. Tent. 32. p. 427. feminam tumidam secuit, ex cuius peritonæo 30 mensuras liquidi viscidi, gelatinosi, coloris fusci, non adeo fætidi, multasque hydatides eduxit.

### §. XIII.

Sic ergo aquas variis coloris, ponderis & consistentiæ, modo in saccis, modo in cellulæ peritonæi colligi, & incubentes musculos abdominis transversos reliquosque, una cum tegumentis attollere, tumoremque in infimo ventre efficere posse, exemplis probavimus. Quamvis vero hoc modo tumor quidam in abdomine producatur, qui signum affectus cuiusdam p. n. ibidem nati intuentibus præbet, nondum tamen ex solo tumore, hic locorum conspicuo, aquas in peritonæo confluxisse, Medicus etiam sagacissimus hariołari poterit. Pluribus quippe a causis magnitudinem p. n. auctam partes abdominis continentis acquirere possunt. Infarctus enim viscerum abdominalium, cardiogmus, graviditas, colica flatulenta, hernia, tympanites & ascites, æque ut indecora eadem promineant, facere possunt. Alia ergo adhuc in subsidium vocanda signa & symptomata sollicite rimanda erunt, horumque ope differentia hydroperitonæi ab hisce affectibus manifestanda & stabilienda est. Ante omnia vero hoc curiosius & verius annotare juvabit, quod tam per conquistas sedulo observationes subjectorum ab hydrope peritonæi curatorum, quam per institutas sectiones cadaverum eodem defunctorum, vix unum aut alterum inter tot tamque multa subjecta virili sexui adscriptum fuisse, femininumque sexum vix non integrum ægrotarum numerum complevisse, compertum fuerit, nostra etiam prolata exempla, RIVERII observatione excepta, omnia eundem spectant, ita quidem, ut morbus hicce muliebri sexui proprius congruusque fere dicendus sit. Imo inter hujus sexus personas plures a familiaris sanguineæ menstruæ nimirum excretionis, vel propter morbum, vel propter graviditatem, retentione; plures etiam

iam a lochiorum suppressione in hunc affectum incidisse, sciendum est. Hinc non solum feminas, verum inter eas, non menstruatas, gravidatas, puerperas, aut a puerperio resurgentes potissimum sic plecti observatum fuit. Et, quando post lochiorum suppressionem hic morbus ingruit, cito satis, vel in puerperio adhuc, vel haud ita diu post, venter mulieribus intumescere, hicque tumor celeriter crescere & augeri videtur. Quando vero catameniorum silentium excipit, progressus ipsius lentior ordinarie esse notatur. In priori etiam casu aquarum in peritonæi cellulæ effusionem, & inundantem hydropem; in posteriori vero earundem invasis, in hydatides dilatatis, collectionem, cysticumque hydropem præsumere licet. Et idcirco hydropem peritonæi laborantes ægrotæ non æqualiter semper, omnibusque in locis protuberantem ventrem, præ se ferre solent, illæ quippe, quarum peritonæum hydatidibus refertum est, ordinarie inæqualem abdominis tumorem experiri solent, & modo in epigastrio, modo in hypochondrio alterutro, modo ad latera umbilicalis regionis, modo in hypogastrio uno vel altero, molem rumidam gerunt: cum econtra quibus serosa colluvies in cellulæ peritonæi effusa hæret, abdomen æqualiter magis, & ubique elatum, præsentent. Et, quamvis juxta Clar. CHESELDEN *Anatomy of the Human Body* p. 149. & ALLEN *Synops. Univers. Med. Praet.* p. 294. abdomen in hydropem peritonæi circa umbilicum minus prominere, ob peritonæi ibidem cum tendinibus muscularum transversorum fortem admodum cohaesionem, ut supra & nos confessi sumus, dicatur, in quo quidem signum hujus morbi ab aliis ventralibus hydropibus pathognomonicum consistere credunt; pro proportione tamen collectæ successive aquæ, musculos abdominales extorsum, peritonæum introrsum, magis magisque urgeri, sive cohaesionem paulatim debilitari, tandemque plane tolli posse, vel etiam simul per corruptionem hanc cohaesionem destrui posse, ut æqualiter ubique in hoc etiam hydropem venter promineat, cum doctis-

doctissimo RESPINGERO *Aet. Helvet.* Vol. I. p. 56. utique sentimus. Non mirum vero, quod a torrente aquarum, in peritonaeum confluentium, cohæsione omni cum transversa carne soluta, tunc apud tales personas abdomen in molem enormem expandatur, & in magnitudinem insignem excrescat, ut sursum emineat, in medio protuberet, sic ut umbilicus etiam oblitteretur, ut ad latera protendarur, imo deorsum propendeat. Hocce vero volumine non obstante plurimæ earum insigne pondus non persentiscere, nec notabiles molestias, aut dolores, inde percipere, nec in stando, incedendo, scandendo remora illis injici solet, ita quidem, ut monstrosum licet ventrem præ se gerentes misellæ, æque celeri motu corpus suum movere, ut aliae sanæ possint. Ita illa, quam TULPIUS l. c. p. 348. inducit, feminæ, potuit perinde atque sanissima, non quocunque tantum deambulare, verum etiam peregre proficisci, & quod mireris, ascendere excelsam Clivensum turrim. Nullum etiam in respirando tumida haecce moles ipsis negotium ordinario facessit, quin liberrime potius spiritum trahunt. Facies præterea illis florida & vivida manet, genæ ex roseo & niveo colore nitent, os & labia purpuram suam nequaquam exuunt, nec splendor oculorum offuscatur. Nec corpulentia apud ipsis imminuit, nec pinguedo macie quadam fugatur, nec ullo modo pallidum, inflatum, lividum, cachecticum vultum intuentibus monstrant. Pedes etiam tumore œdematoso primitus non corripiuntur, unde quidem illa in movendo & gradiendo facilitas multum etiam dependet. Quietæ & somno ex voto etiam frui possunt, appetitus etiam perbene iisdem constat, digestio etiam, chylificatio & excretio alvina consueto tenore absque impedimento perficitur. Ipsa hinc sanguificatio, nutritio, secretiones atque excretiones labefieri neutiquam solent. Hinc etiam sudoris &  $\square$ æ excretio neque retardari, aut imminui, multo magis supprimi observatur, sitis etiam vel plane non, vel parum, ob salivalis laticis secretionem non sufficiunt.

D

sufficiunt.

sufflaminatam , illas molestabit . Ita quidem ut tria præcipua , quæ alias hydrope , afferente SYDENHAMO *Tr. de Hydrope Opp.* p. 334. stipare solent symptomata , dyspnœa , & paucitas & sitis intensa , nulla nostro hydrope laborantibus incommoda causentur . Interdum etiam mensium negotium , præsente licet morbo , per notabile tempus rite & consuete procedere adhuc solet , ubi quidem non ita celeriter ad ~~exponit~~ properare observatur . Quando vero sic in femina quadam , non obstante , quod memoratas functiones principales vel plane non , vel non multum turbatas habeat , tumorem nihilominus in abdomen notabilem , aquarumque fluctuationem , quando in uno vel altero loco , illud manu percutimus , percipimus , ex hisce signis combinatis , quæ LITTRIUS in *Mem. de l' Acad. des Scienc.* 1707. p. 502. & 510. bene enucleavit , pathognomonicum , & haud fallax , hydrope peritonæi detegens signum Medicus nanciscitur .

## §. XIV.

Quoniam vero actiones principales expedite satis apud hydropericas nostras fieri solent , mirandum adeo non est , morbum huncce lento gradu augeri , & diu ab ægris tolerari posse , ita ut per annos & lustra vivere , in publicum prodire , & negotiis suis vacante valeant , nec ruinam machinæ suæ anxie metuant , sic illa ægrotatæ de qua LITTRIUS *Mem. de l' Acad. des Scienc.* A. 1707. p. 502. loquitur , 4 annos superstites fuit . Quam RESPINGERUS notantibus *Aet. Helv. Vol. I.* p. 52. secuit , plures annos abdominis tumorem , quotidiæ magis incrementum , cum suspicione animalis cuiusdam vivi intus hospitantis , circumgestavit . HOLLINGS in *Pbil. Trans. abridgd Vol. V.* p. 293. feminam inducit , quæ tumorem abdominis , tandem mento æquatum , absque aliis incommodis , nisi quæ stupenda males ipsi causari debuit , circiter 30 annos circumtulit . Lente tamen ad tumulum miseras comitari ut plurimum hydroperis hæc solet , ni opem in tempore implorent . Non potest enim non aliter fieri , quam ut , affluxu humorum in dies magis magisque ad peritonæi , ceu minime resistentia vasa , undique

dique contingente, refluxuque, ob collectionem vel effusio-  
nem lymphæ ibidem factam, intercepto, reliqua secretiones  
& excretiones tandem multum impedianter, ut suppressio  
sæ aut sudoris inde oriatur, aut alvina libertas remoram  
inveniat, ut sitis intendatur, ut in sanis haec tenus visceribus  
circulus sanguinis nunc etiam retardetur, lymphaque sece-  
dens in cavum thoracis & abdominis pariter effundatur. Unde  
quidem palpitatio cordis & dyspnœa summa, uti illis, de quibus  
in TRANS. ABR. Vol. V. p. 299. & NUCKIO l.c. p. 102. memora-  
tur, contigit, ob hydropem pectoris aut ascitem cum perito-  
næ hydrope nunc complicatum, accederet. Ut etiam a copia  
aquarum vel in peritonæo, vel in thoracis abdominis cavo  
stagnantium, abdominis viscera in arctum admodum spatiū  
compellantur, sirumque variatum acquirant: uti apud SCHEN-  
CKIUM l.c. p. 431. TRANS. ABR. Vol. IX. p. 188. ACT. HELV. Vol. I.  
p. 55. E. N. C. Vol. VIII. p. 390. THIEULLIER l.c. T. 2. p. 419. &  
TRANS. ABR. Vol. V. p. 294 ubi diaphragma multum repulsum,  
& costis quasdam extra versas, in illa, quæ ad mentum usque  
tumida erat, legitur, videre est. Ut uteri, ovariorum tuba-  
rumque hydropes etiam se se assident. Imo, ut ob substan-  
tiæ peritonæi cellulæ cum fascia lata communionem, tu-  
mor etiam ad femora pedesque descendat, & extremitates in-  
feriores œdematisbus obsideantur, ægræque ubique locorum  
nunc hydropis symptomata, a quibus haec tenus immunes  
vixerunt, variosque dolores acerbos persentificant, hinc  
pro rata, uti SYDENHAMUS Tractat. de Hydrop. Opp. p. 334. in-  
quit, *qua ægræ in partibus, quas morbus obfit, mole augen-  
tur, in reliquis, præcipue in superioribus extremitatibus &*  
*facie, magis magisque in dies emaciantur & gracilescunt: tan-  
demque cum tanta aquarum vis intra abdominis ambitum co-  
erceri ulterius nequeat, impetu in viscera nobiliora & vitalem  
arcem facto, cataclysmo quasi submersæ pereunt.* Vel ex inter-  
ceptione juxta BOERHAAV. Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 44.  
motus fluidi per vasa rupta, corruptio eorum, quæ hoc motu vi-  
gebant, id est, aquarum stagnantium, jam per se ad alcalinam

D 2

natu-

naturam, juxta experimenta a THIEULLIER *l. c. T. 2.* p. 420. & E. N. C. *Vol. VIII.* p. 391. allata, vergentium, putredo nascitur, unde quidem peritonæum hinc inde erodi, in purulentam & ulcerosam materiam mutari necesse est, uti exempla in MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. 1707. p. 503, 507. E. N. C. *Cent. 3. & 4.* p. 372. *Vol. VIII.* p. 395. & CHESELDEN. *l. c. p. 149.* fidem faciunt. Quidquid, ex peritonæo destructo, acre atrumque tabum vel in ipsum abdominis cavum decidere, intestina aut alia viscera aggredi, ulcerosa, testante CHOMEL *Mem. de l' Acad. des Scienc. 1728.* p. 418. facere, vel, qua data porta per umbilicum prorumpere, conferantur MEM. DE L'ACAD. *l. c. p. 415.* aut etiam incumbentes musculos abdominis corrodere, vide ACT. URAT. *Tent. 32.* p. 427. & ALLEN *l. c. p. 295.* debere, palam fit: ubi quidem fere semper tabes tunc, febris lenta, delirium, lipothymia, inflammatio, gangraena, sphacelus, mors supervenire, & tragediæ finem imponere solet.

### §. XV.

Nunc, si memorata hæce signa, hydropem peritonæi arguentia, invicem combinamus, eaque æqua lance ponderamus, morbum nostrum a reliquis, in quibus pariter abdomen in tumorem elatum conspicimus, distinguere haud obscurum amplius erit. Sic infarctus viscerum abdominallium, hepatis videlicet, lienis, pancreatis, mesenterii, & inde oriundus cardiogmus, ab hydropè peritonæi in eo facile dignosci potest, quod in illo hypochondria tantum, nunc dextrum, nunc sinistrum, nunc utrumque elatum existat, tumorque ibidem ad tactum magis durus, renitens, dolens, inæqualis occurrat, aut, si a glandulis nefariaicis obstructis rumor fiat, in medio idem exurgat, ibidemque durus & inæqualis sit, asthma etiam, quod hypochondriatum vocant, semper conjugatur, appetitus imminutus, digestio labefactata, alvusque pigra fiat, & facies icterita aut cachectica insuper esse soleat. Utero gravium feminarum conditio, tumorque inde inductus, a nostro paululum difficilius distingui poterit. Hinc etiam factum, ut, hydro-

hydrope peritonæi laborantes subinde pro gravidis habitæ; & ad partus labores frustra adstrictæ fuerint, uti exempla in PHIL. TRANS. ABRIDGD Vol. V. p. 293. E. N. C. Vol. I. p. 342. ACT. VRAT. Tent. 32. p. 427. & SCHENCKIO l.c. p. 431. reperiunda, testantur: quidquod graviditatem veram cum nostro morbo quandoque sociatam fuisse legitur, & illa, de qua in E. N. C. Cent. 3. & 4. pag. 371. aliaque, de qua in HELIWIGII Obs. Phys. Med. p. 255. mentio sit, durante morbo fœtum enixa est, in alia vero, testantibus E. N. C. Vol. VIII. p. 389. post mortem fœtus in matrice repertus fuit. Si tamen ad tumorem, post menses retentos sensim sensimque augescens, magis globosum, ad umbilicum prominentem, ad latera vero complanatum, ad mammae sororiantes & sero latetœ foetas, ad uteri orificium, si tactu exploratur, obturatum, advertimus, hæcce, reliquaque graviditatis signa conjuncta, de illa dubium nullum amplius relinquunt, ipse motus dein infantis, & partus debito tempore veniens, ab omni confusione nos liberabit. Quum econtra tempore hocce transfacto tumor remanens, justam tunc hydropis peritonæi suspicionem cum aliis indiciis concurrentibus pariet. Sæpiissime etiam graviditate absoluta, in puerperio, aut eodem finito, noster morbus demum generari solet. In colica flatulenta venter quidem etiam mirum in modum expanditur, ast celerrime exurgit illa expansio, citoque iterum discutitur, &, licet sapienter renascatur, multosque homines per vitam repetitis vicibus moleste afficiat, non tamen perpetuo abdomen, nec æqualiter tumidum existit, quod enim nunc inflatum existit abdomen, hoc paulo post flaccidum, planum & collapsum iterum fieri, in hypochondriis etiam, ob angulos coli, magis tumor tangentibus occurrit, ipsi etiam flatus in intestino hoc obambulantes murmurantesve, & vel æva vel æro erumpentes, morbum hunc ad nauseam usque produnt. Inter multifarias herniarum species, prægrandes, a ruptura peritonæi ordinario oriundæ, cum morbo nostro præ aliis confundi possent, ni intestinorum cum

murmure recessus in mobilibus, & dolor, rubor, alvus constipata, vomitus, pulsus durus, reliquaque inflammationis symptomata in incarceratis, nos abunde de herniæ præsentia convincerent. Et spuria illa umbilicalis hernia, ab aquis orta, ideoque hydromphalos vocata, cum aquæ in eadem umbilicum solummodo extendant & per eum pellueant, a nostro hydrope facile se distinguet. Tympanites vero, sive uti alias vocatur, hydrops siccus, quoniā a flatibus vel intestinorum canalem, vel abdominis cavum & peritonæum sufflantibus, oriri creditur, quamvis aquas aëri sociatas semper esse reūtius statuatur, tertium ventrem etiam ultra suam magnitudinem naturalem maximopere ampliat, verum circumundique in hoc nitens, æqualis, tensusque idem est, ut pulsatus tympani sonum edere soleat, dyspnœa summa præterea urget, urinæ & sudoris excretio notabiliter intercipitur, digestio admodum vitiatur, alvusque cum difficultate & tarditate officio suo defungitur. Ascites vero potissimum ille morbus est, a quo ægre nostrum distinguiri posse videri posset. Nam in illo itidem aquæ effusæ & collectæ abdomen in tumorem attollunt, fluctuans pariter sensus, ab ægro corpus suum in latus movente, vel a Medico manu abdomen percutiente, percipi solet. Verum enim vero, si ad reliqua simul phænomena, in nostro morbo occurrentia, attenti advertemus, illaque cum illis, quæ in ascite apparere solent, comparamus, non diu in sejungendis a se invicem duobus his morbis aqua amplius haerebit. Asciticis quippe personis oedemata pedum fere semper, antequam abdominis tumorem incurront, contingere solent, hinc gressus earum ab initio morbi statim impeditus existit. Faciem etiam cacheoticam ac inflatam monstrant, sudoris &  $\square$ æ excretio in dies magis magisque minuitur, &  $\square$ a rubra, lixiviosa ac sedimento lateritio, roseo prædicta conspicitur. Cumque in abdominis cavum aqua effusa sit, diaphragmatis descensu sic obex ponitur, dyspnœa hinc, eaque eo plus, quo magis  $\nabla$ æ cumulantur, increscere solet. Sitis etiam apud istas

maxi-

maxime increbescit, & quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. Non appetitus, non viscerum chylopœorum aestio, non foecum exclusio, cum a circumfluis viscera abdominalia aquis membranæ eorundem tandem flaccidæ fiant, ipseque tonus destruatur, imo plane compages erodatur, bene amplius procedit. Addimus maribus frequentius, quam feminis, ni apud ipsas menses retineantur, aut propter æatem cessent, hydropis ascitis periculum imminenter. Econtra, cum hydrops peritonæi feminis potius, iisque, quæ lochiorum in puerperio suppressionem, vel catameniorum silentium incurront, præcipiti interdum, sæpiissime vero lento gradu sit infestus, cum ob aquas extra abdominis cavum, inter peritonæum & musculos transversos, collectas, ne gutta quidem in abdominis cavo hærente, libere spirent, cum non male ingerant, digerant & egerant, cum expedite pedibus eant, cum vividæ & floridæ sint; ex collectis hisce signis, quibus LITTRIUS Mem. de l' Acad. des Scienc. 1707. p. 510. hoc addit, quod in quodam loco abdominis nec resonent, nec fluent aquæ, quod tamen in cystico magis, quam inundante hydrope peritonæi verum esse poterit, hydrope potius peritonæi, quam ascite hydrope laborare, ægram quandam, vix falli poterimus. Quando vero in ascitem noster transit, duplexque & complicatus sic nascitur hydrops, distinctioni tunc nullum amplius locum esse, nullum tamen a confusione hac in medicando errorem inde exurgere posse, arbitramur.

### §. XVI.

Rimatis signis, quibus operimenti prætensi hydroperosis cognosci, & ab aliis morbis dignosci poterit, ejusdem causæ propius nunc inspiciendæ erunt. Hæ ex nota per Anatomiæ peritonæi fabrica, & ex collectis per sectiones cadaverum, peritonæi hydrope defunctorum, observationibus eruendæ sunt. Cum sanguineæ arteriæ rubicundum laticeum multis ex locis ad membranam hanc aurigent, hæque postmodum serosas & lymphaticas arteriolas undique amendant, quo aqua sanguinis, pro nutritione æque, ac prorora-

roratione abdominis, quaqua versum dispergatur; residuus ab opere hocce sive lymphaticus, sive sanguineus humor, absque remora venis ut refundatur, necesse est, alias circulus humorum ibidem locorum retardari, sisti, multisque periculis exponi facillime poterit. A sanguinis praecipue retardato motu, serum in minus renitentibus & lateralibus canaliculis notabiliter etiam lentescit, imo plane quiescit, & obstructiones parit, secretio sic & excretio lymphæ in cavum abdominis sufflaminatur, urgente vero semper a tergo nova aqua, peritonæi membranaceæ substantiæ vascula serosa lymphaticaque admodum inde extendi, in saccos expandi, aquæ inibi colligi, vel per eadem vasa, ob nimiam tensionem disrupta, aut oscula excretoria, oleum alias in cellulofam telam eructantia, maximopere ampliata, in cavernosum hoc textum eadem aquæ effundi debent. Hæc vero lymphæ in peritonæi vasis, nunc dilatatis, nunc ruptis apertisve, stagnatio, expansionis & tumoris incumbentium muscularum transversorum reliquorumque abdominalium atque cutis, sive hydropsis peritonæi, causa proxima existit.

### §. XVII.

Nullatenus tamen stasis ibidem locorum contingere potuerit, nisi quædam jam in corpore dispositio, quæ morbi generationi viam paravit, adfuerit. Hæc propterea remota ejus causa erit, eaque tam in sanguinis ad peritonæum allabentis spissitudine & aquosa dyscrasia, quam in vasorum sanguinem lymphamve huc vehentium debilitato tono quærenda est. Semper enim, ob sanguinem spissum & aquosum, vasorum vis contractilis minuitur, &, vice versa, ob vasorum elaterem ibidem locorum fractum, cruoris tenacitas & cachexia inducitur, ejus progressivus motus retardatur, ex arteriis in venas reditus impeditur, & miscela partium aquosarum cum rubicundis imperfekte contingit, hinc in laterales lymphaticos canales, quorum quidem magnum numerum a NUCKIO detectum fuisse, jam diximus, aqua dilabitur, horum-

horumque tonum pariter superat. Sanguinis enim ex arteriis in venas refluxu intercepto existente, serum in lateralibus vasis mox accumulari, vel in cava effundi, ligaturae venarum , aliaque experimenta, a LOWERO *Tr. de Corde* p. 117. PECHLINO *Obs. Phys. Med.* p. 146. & HOFFMANNO *Med. Rat. System.* T. IV. P. IV. p. 430. tam in vivis animalibus, quam in cadaveribus humanis, instituta, & hydrops artificiales sic producti, probant. Ita quidem, ut aquæ in laterales membranaceæ peritonæi substantiæ canales distentos impulsæ, quandoque ibi hærente, sicutque cysticum peritonæi hydropem generare; quandoque ad oscula usque extrema penetrare, aut ruptis in itinere, antequam ad extrema vascula pervenerint, cataractis, unde NUCKIUS *Adenogr. Cur. pag.* 109. & HENSING. *Diff. cit. §. 11.* solummodo hunc morbum oriri credit, continuo impetu cellulosam peritonæi substantiam incumbentesque partes exundare, sicutque utroque modo hydropem peritonæi inundantem producere valeant.

### §. XVIII.

Huic autem vasorum in peritonæo repentinum atoniæ, & sanguinis dyscrasias spissæ, aquosæ, variæ causæ somitem subdere possunt, hæ occasioñales hydropsis nostri causæ sunt. Cum sexum sequiorem fere unice hic morbus affligat, eique admodum frequenter in puerperio & post lochiorum suppressionem, juxta TRANS. PHIL. ABRIDGD Vol. V. p. 294. & MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. A. 1728. p. 414. aut post mensium imminutionem vel retentionem, secundum BONETUM l.c. p. 1091. TULPIUM l.c.p. 348. NUCKIUM l.c. p. 101. & TRANS. PHIL. Vol V. p. 293. infestus sit, uterum præ reliquis visceribus hic culpare, ejusque statum inter causas procatarraticas hydropsis peritonæi haud inique referre licet. Hepar enim, pro universali hydropsis causa ordinarie accusatum, insons saepissime in cadaveribus sc̄tis, & a labe immune, detectum fuit, præcipue vero *hydropicos tumores in feminis plus ex uteri, quam hepatis*

E

85

& viscerum, quæ cum hepate habent connexionem, vitio sub-  
 nasci, cum Cel. HOFFMANNO Med. Rat. T. IV. P. IV. p 436.  
 in eadem versamur sententia. Quandocunque enim molle  
 uteri viscus ob menstrua, vel a morbo, vel a graviditate,  
 retenta, nimia quantitate sanguinis obruitur, quæ per se  
 jam minus resistunt uterina vasa magis distenduntur, cum-  
 que ad loca debilitata major indies sanguinis quantitas in-  
 vitetur, ad matricem ramos alegantes arteriæ spermaticæ,  
 iliacæ internæ, hypogastricæ pudendæ, internæ & externæ,  
 atque epigastricæ mirum quantum extenduntur, insignem-  
 que commeatum cruris adipiscuntur, at, cum hæ arteriæ  
 peritonæo etiam ramulos impertiantur, illi etiam, qui ad  
 hanc membranam tendunt, majori copia sanguinei laticis  
 obruti, ultra diametrum naturalem ampliantur. Sed cum  
 epigastricæ insuper arteriæ cum mammariis internis, sub  
 musculo recto potissimum abdominali, communicent; non  
 amplius enim de hac communione sub judice lis est, & o-  
 ptime Cel. BÜCHNER in Diff. de Communicatione vasorum  
 mammariorum cum epigastricis Hal. 1748. defensa, eandem  
 diremit, etiam hæ arteriæ majori copia rubri humoris occu-  
 pantur, quare etiam mammae in his statibus nunquam non  
 sororiantur. Cumque arteriæ mammariæ internæ itidem  
 peritonæo prospiciant, undique sic plus, quam opus est,  
 peritonæum sanguine dives, his tamen divitiis dispensandis  
 impar evadit, fatiscit, & succumbit. Non vero a nimia tan-  
 tum mole humorum, peritonæum in talibus circumstantiis  
 obruentium, infirmari, verum etiam ab uteri mole, duran-  
 te menstrua suppressione, & magis adhuc durante graviditate,  
 multum aucta, interna peritonei superficies tendi,  
 vasa sanguifera æque ac lymphatica premi, & tonus eorum  
 infringi, cursusque liquidorum ibidem retardari palam fit.  
 Inde vero ad quæstiones, cur, antequam foemellæ menses  
 expertæ fuerunt, rarissime hydropem peritonæi incurvant?  
 cur post partum ita frequenter eidem obnoxiae fiant? cur  
 verulæ hunc non ita metuere debeant? facile responderi  
 poterit.

poterit. Quamdiu enim catameniorum fluxum nondum experiantur, uterus, mole parvus, ad peritonæi vasa nihil adhuc superflui amandare, nec ea distendere, nec ejus superficiem internam premere, nec debilitare poterit. At, quando menstrua jam expertæ fuerunt, peritonæum jam, ob uterum in hoc statu tumefactum, aliquatenus debile fit, quæ vero debilitas menstruis, vel propter morbum, vel graviditatem, silentibus, indies augetur. Quando vero plane, partu secuto, lochiorum fluxus intercipitur, nec vasa uterina, nec vicina peritonæi depleri poterunt, aut, si aliquid ex utero recedit, cum ille, foetu excusso, magis quam peritonæum contractilis sit, hic maximam molem sanguinis, quæ effluere nequit, ad debilius ipsique minus resistentis peritonæum pellit, illius vasa ulterius distendit, tonumque plenarie ibidem frangit. Necessario ergo serum, a cruento in vasa lateralia & lymphatica peritonæi sedens, & accumulatum, ibidem tumorem hunc efformabit, citaque a lochiorum suppresso fluxu hydrops peritonæi eveniet, quod, eodem fere modo, attamen lentius, a mensibus retentis etiam contingit. Non reticendum etiam est, lactis repulsionem subitaneam hydropis peritonæi causam existere posse, nam ob mammiarum & epigastricarum arteriarum æque ac venarum jam memoratam communicationem, & utrarumque ad peritonæum accessum, lacte prægnans sanguis in vasis hujus membranæ facile extensionem, stasin, aquæ lacteæ in laterales canaliculos secessum, & hydropem hunc inducere potest, hicque revera hydrops peritonæi lactei nomen tunc, secundum CHOMEL, qui in *Mem. de l' Acad. des Scienc.* 1728. p. 415. & 422. lacteum liquorem ex umbilico aperto in tali statu effluxisse observavit, tuebitur. Ita quidem, ut mensium suppressio, gravidas, puerperium laboriosum juxta E.N.C. Vol. VIII. p. 403. lochiorum retentio, lactisque repulsio, inter causas hydropsis peritonæi primum locum occupare mereantur. Simul vero illud adhuc inde clarum fit, quod vetulæ, quibus

bus hæc symptomata in matrice non amplius, ob uterinas fibras rigidas factas, eveniunt, quibusque etiam peritonæi fibræ ob æratem rigescunt, vix hujus morbi metum habere debeant. E numero præterea causarum, occasionem nostro affectui largientium, non excipi debet ciborum nimiorum, crassorum, dyspeptorum, farinaceorum, fructuum horæcorum abusus, potus frigidæ, spissi, minus defecati, cerevisiæ crassioris, vini +di, aut generosi nimia ingurgitatio, vel potus etiam neglectus, in quo quidem, uti & in motu neglecto, & nimio somno, sæpiissime feminæ peccare solent. Hæc enim omnia sanguinem inspiciendo, cruda, aquosa cumulando, solida relaxando, præcipue vero peritonæum, ventriculo accumbens, debilitando; huic morbo etiam somitem subdere possunt. Humiditas itidem atque frequens pedum in aquam frigidam immersio, uti lotricibus illud necesse est, huc etiam symbolam suam contribuit. Tristitia, moxor, melancholia, sanguinem incrassando, non parum etiam hoc facere potest. Ipsa ira affectui huic interdum ansam præbet, sic illa, de qua in *E. N. C. Cent. 5. & 6. p. 36.* mentio fit, ab ira & nimia copia ciborum morbum hunc contraxit. Onus sublevatum eidem occasionem dedisse, in *TRANS. PHIL. ABRIDGD Vol. IX. p. 187.* legimus. Febrem ardente prægressam in alia, referente *NUCKIOL. c. p. 114.* eidem morbo viam paravisse, etiam docemur. Hinc utique a febribus talibus aliisque, ab intermittentibus etiam male judicatis, a diarrhoeis, dysenteriis, & aliis excretionibus suppressis, ab arthritide vel podagra retrorsum, ab haemorrhoidibus intempestive fugatis, ubi juxta venerandi SENIS *Apb. Sez. VI. N. 12.* effatur, *haemorrhoidas sananti diuturnas, si non una servata fuerit, periculum est, hydropem, aut tabem accedere, in viris etiam morbum hunc oriri posse, non plane impossibile existere, licet pauca exempla prostent, concedimus.*

§. XIX.

## §. XIX.

Prognosis, quam de statu ventris sui tumido anxiis feminis Medicus format, varia existit. Si enim morbus hic recens est, si subjectum viribus satis adhuc constat, si pedes nondum sunt tumidi, si facies non cacheistica, respiratio libera, appetitus integer, reliquæque functiones naturales bene exercentur; optima adhuc illas lactare spe possumus, fore morbum eorum radicitus curatum iri. Quum enim aquæ viscera abdominalia non alluant, sicque digestio, chylificatio, secretiones in hepate, liene, pancreate, non interrumpantur, cum etiam diaphragma in descensu suo non impediatur, thoracisque dilatatio libera, & pulmonum explicatio integra maneat, indeque oriunda sanguificatione non vacillet; cor etiam sanguinem bonum & accipiat & reddat; ob vitales & naturales actiones illibatas existentes, particulare hoc & locale in peritonæo vitium debellari eo perfectius, eoque facilius poterit. Si etiam mensum vel lochiorum fluxus nullam remoram patitur, de prospero morbi successu bene opinari etiam poterimus, imo, si menses, vel hæmorrhoides haætenus retentæ, rursus apparent, morbi crisiæ felicem sæpiissime inducunt. At, si & facies inflari, & pedes tumere incipiunt, hoc totius massæ humorum dyscrasiam, lentorem & sanguificationem læsam arguit. Si durities insignes in abdomine manui tangent occurrunt, hoc viscera infarcta denotar. Si appetitus reliquæque actiones naturales labefactantur, hoc aquas in cavitatem abdominalis effusas, adeoque ascitem complicari, quemadmodum, si dyspnoea urget, hydropem pectoris conjungi, manifestat. Si sudoris, si ☐æ etiam excretio intercipitur, hoc sanguinis tenacitatem notabilem & pertinaces in visceribus infimi ventris obstrunctiones indigitat, nec nos de morbo adeo securos esse posse admonet. Hæmorrhagiae narium, uti in omnibus hydropis speciebus mæ sunt, quoniam sanguinis

nis per viscera obstructa impeditum circulum ejusque ad superiora congestionem produnt , ita & , si in nostro se se monstrant , reformidandæ sunt . Diu nimis in peritonæo stagnantes effusæ aquæ corruptionem tandem inducere , & vel peritonæum erodere , ac in cavum abdominis delabi , ibique viscera corrumpere , vel per umbilicum erumpere , aut alio in loco abdominis musculos corrodere possunt , sic vero ulceribus & fistulis , & ex illis febribus lenti ac hecticas hydrope peritonæi laborantes exponi , & tandem inflammatione interna fatis concedere debere , quis non videt .

### §. XX.

Ut a fatis his , quæ hydrope peritonæi laborantes circumstant , liberentur , arte sua studere debet Medicus , hocce , sequentes indicationes implendo , perficiet .

I. Sanguinis quantitas est imminuenda .

II. Sanguis & lympha spissa est resolvenda atque obstruēta peritonæi vasa sunt aperienda .

III. Abundans & stagnans in peritonæo lympha est evacuanda .

IV. Tonus debilitatus peritonæi vasis est restituendus .

Prima indicatio præcipue in casu mensium retentorum , aut lochiorum suppressorum , venæ , primo in brachio , dein in pede , sectione celebrata , si que opus est aliquoties iterata , absolvitur .

Secunda indicatio medicamenta digestiva , diluentia , attenuantia & resolventia requirit , quæ principio potissimum Thino-△eo tenacem sanguinis & lymphæ dyscrasiam dividunt . Huc referenda sunt Thia media , quæ ad aliquot 3 mas ter quaterve in die , in juscule medicato ex Radd. cichor. lapath. acut. polypodii q. Hbb. endiv. lactuc. na-

nasturt. ▽at. meliss. beccabung. bellid. chærefol. una cum  
 succo millepedum No. 50 ad 100 contusorum, parato, vel  
 in infusis theæformibus ex radd. nominatis, vel etiam ex  
 rad. pareir. brav. aut seneck. cum flor. genist. urtic. alb.  
 & violar. compilatis, dissolvi & præberi possunt. Heres et-  
 iam ex milleped. Ⓛibus mediis, radd. ari, squill. ppt. in iis-  
 dem vehiculis exhiberi poterunt. Liquores itidem Ⓛini  
 aperitivi, qualis ille ▽ Fol. 4. aper. min. e ♀ro & Ⓛro  
 est, cum anima rhei nupti, gumm. \*c. in iis solutum,  
 pilulæ etiam Beccherianæ, vel Stahlianæ, vel magistrales  
 ex extract. enul. rad. vincetox. squill. ppt. gumm. \*c. &  
 Ⓛ Carthusian. confectæ, aut nominatus Ⓛ ad gr. 8. vel j.  
 quotidie ter vel quater oblatus, haud vanam utentibus  
 opem præstabit. Ob Ⓛinum etiam principium Acidula-  
 rum quales præcipue Selteranæ, Teinacenses, Andegasten-  
 ses & Griesbacenses sunt, vel Thermarum Wisbadensium,  
 Ferinarum, Carolinarum aut Plumbariensium potum,  
 scopo oppilata vasa referandi, admodum utilem esse posse  
 censemus. Alia vero utique ratio circa aquarum minera-  
 lium & thermarum externum usum ac sub forma balnei ap-  
 plicationem, occurrit, thermæ enim, ob humidum aquo-  
 sum solida nimis relaxare, copiam liquidi, dum pars aquæ  
 ambientis a poris cutis venosis absorbetur, in hydropico  
 corpore augere, & ubi asthma urget, gravitate & pressio-  
 ne sua summas pectoris anxietates ciere debent: uti hoc  
 venerandus Avus meus pia memoriae MATTHÆUS BLAW, olim  
 Professor Friburgensis, in E. N. C. D. III. A. 7. & 8. p. 160.  
 exemplo hydropis, ex usu thermarum mox lethali confir-  
 mat, simulque Medicis junioribus ex observatione allata  
 hanc cautelam tradit, ab iis quorum corpora destructa seu  
 viscera interna male constituta sunt, adeoque in genere omni-  
 bus cachecticis, hydropicis, tympaniticis, phthisicis, asthamati-  
 cis, thermas quascunque in usum non facile vocandas esse.  
 Antea recensitis vero remediis, cum secura & potentia re-  
 solventia sint, scopum nostrum, nempe tenacem cruentem

lympham-

lymphamque in obilem reddendi , in circulum redigendi ,  
sicque obstructa vasa reserandi , ex voto non solummodo  
obtinere , verum superfluam & inutilem aquam per diuresin  
aut diaforesin eliminare , imo sanguinem aut lochiorum fluxum  
emanentem restituere , ex asse poterimus . Quo vero divisa  
nunc tota massa humorum æque , ac in peritonæo retardata  
colluvies serosa , copiosius e corpore eliminetur , ea  
quæ in

Tertia indicatione parata sunt auxilia , advocari debent . Hoc medicamenta cathartica efficient , quæ resolventibus subinde interponenda sunt . In hunc finem vel  
θia media ad ȝij , vel potiunculæ rhabarbarino mannatæ ,  
vel noduli per epicrasin laxantes , vel pilulæ laxantes , vel  
electuaria ex aperientibus & laxantibus cum pulp. cass. &  
syrup. domestic. excepta , optime convenientia . Angue  
vero & cane pejus omnia draftica , pure resinosa & acria  
hydragoga vitanda sunt , utpote quæ fluidiora emungendo ,  
solida fortiter irritando , spissitudinem & atoniam magorem post se relinquunt , imo inflammations viscerum  
vasorumque rupturas accelerant , morbumque celeri gradu  
in pejus præcipitant , quidquod immedicabilem reddunt . Ut vero , anne optatum evacuantem , sive catharticum , sive diaphoreticum , sive diureticum effectum , remedia edant , certiores esse queamus , ad CELSI consilium ,  
quod de Medicina L. III. C. 21. sapienter suppeditat , attendendum est . Commodum est etiam , inquit , lino quotidie  
venire metiri , & qua comprebendit alvum , notam imponere :  
postero quoque die videre , plenius corpus sit , an extenuetur ,  
id enim , quod extenuatur , medicinam sentit . Neque alienum  
est , metiri & potionem ejus , & urinam , nam si plus humoris  
excrevit , quam assumitur , ita denum secundæ valetudinis  
spes est . At si tumor mole in dies augetur , si fluctuatio  
aquarem , quando abdomen percutitur , percipitur , si excretio  
notabiliter immunitur , stagnationem lymphæ in  
cystidibus peritonæi , aut inundationem inter idem & mu-  
sculos

sculos abdominales suspicari debemus. Tunc vero utique evacuantia interna incassum adhibebuntur, non enim potest amplius fieri, ut aquæ effusæ a venis bibulis resorptæ per diuresin, vel per diaphoresin, vel per catharsin eliminantur. Fons ergo chirurgicus auxilium suppeditare debet, dum Chirurgus mediante acu triquetra, in cannula argentea prominente, vel locum, ubi nimium tumet venter, si nempe tumor est inæqualis & cysticus, vel, si æqualis inundansque existit, inferiorem partem abdominis, aliquot digitorum infra umbilicum & a linea alba distantia, perforat, & ex declivi hoc loco aquas stagnantes, easque omnes, si vires ægræ illud permitunt, constringendo successive mediante linteo abdomen, emittrit. Et in hoc peritonæi hydrope, monente jam TULPIO l. c. p. 349. longe securius, expeditiusque ~~περιτονεων~~ instituerit Chirurgi, quam in ulla aliis ejusdem morbi speciebus, in quibus viscera naturalia a circumflua aqua usque adeo plerumque visitantur, ut illa etiam subducta, nihilominus moriantur ægri: cum in hac peritonæi aqua, exta maneant illibata, ac plane seclusa ab irriguo, acrioris humoris, attactu. Et, aquarum colluvie evacuata, medicamenta aperientia & evacuantia rursus continuata, citius postmodum effectum suum edent. Paracentesi vero peracta ex aquarum colore, qualitate & odore, tumorisque diminutione, de felici successu curationis ulteriores & veriores conjecturæ formari poterunt. Si citrini coloris eadem existunt, tunc serum sanguinis nondum corruptum esse, atque spem curæ superesse, indicatur. Si vero purulenti, sanguinolenti, saniosi, viridescentis coloris, aut putridi odoris sunt, tunc diu stagnasse, computruisse sanguinem, vasæ etiam destrunctæ fuisse notat. Si filamenta & membranulæ simul excernuntur, tunc hydatides præsentes esse, hydropemque nostrum cysticum esse manifestat. Si specillum etiam, in vulnus immissum, non in abdominis cavum pertingit, quod quidem, quando nullæ inæqualitates, quæ a visceribus

F

forma-

formari solent, eidem occurunt, cognoscimus, vel, si injectio per vulnus facta, quoad maximam quantitatem statim iterum reddit, quod non fieret, si in abdomen dilaberetur, nam hoc majorem quantitatem liquidi continere posset, uti in MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. 1707. p. 510. & 1728. p. 416. illa tentamina afferuntur, tunc peritonaeum solummodo aquis obsesum notat. Si vero per experimenta allata contrarii convincimur, si tumor etiam facta operatione non subsidet, si dyspnœa urget, tunc in abdomen aquas effusas esse, certiores reddimur. Profundius ergo adigendam acum, aut alio in loco abdomen pertundendum esse, suaderemus. Si, & hic locorum eductis aquis, dyspnœa perdurat, tunc pectoris hydrope presentem esse, credendum est, sique signa alia, hunc morbum indicantia, concurrunt, paracentesis thoracis alio tempore administranda erit. Si, post aliquot dierum spatium, aut haud ita diu post, tumor abdominis recrudescit, & denuo appareat, lymphatica vasa erupta esse indigitat. In hoc vero anticipi rerum statu paracenteses repetendi, quoties tumor reddit, dura necessitas imponeretur, quemadmodum illa de qua in MEM. DE L'ACAD. DES SCIENC. 1707. p. 503. sermo est, 13. vicibus duorum annorum spatio illam passa est, alia 16. vicibus intra 10. menses eam subiit, & ultra 720. lib. aquarum, E. N. C. Cent. 3. & 4. p. 371. testantibus, perdidit, ni per injectiones mundificantes, ex herbis aromaticis & travmaticis in vino coctis, vel Ess. Succin. Aloes. Ra. Aristoloch. cum aqua vulner. temperatis, inquinamenta in cavo peritonaei eluendi, idem mundificandi, vasa erupta constringendi, deinceps parietes ejus admusculos transversos agglutinandi spes adhuc superstes esset, quæ quidem methodus a LITTARIO in Mem. de l'Acad. des Scienc. 1707. p. 512. proposita, & a CHOMEL. l. c. 1728. p. 418. felici cum successu in usum vocata fuit. Hinc etiam, si aquæ virides, saniosæ, putridæ, membranulis referatae, peritonaeum ulcerare affecerint, aut plane in abdominis cavum per peritonæum

næum erosum delapsæ , intestinum aut viscus quoddam eroferint , abstergentia illa & balsamica , ad ulcus peritonæi mundificandum visceraque ulcerata purificanda , injicienda sunt , imo saepè opposito & superiori in loco aertura alia adhuc facienda est , quo injectiones inibi immisæ per declivem locum effluere , probeque & ubique peritoneum mundificare , hydatides simul earumque lacinias consumere possint , in quem etiam finem paulo acriora decocta cum muria vel  $\ominus$ ★co parata , injici , & tandem balsamicis vulnerariis peritonæi cum musculis agglutinatio induci poterit . Hac vero methodo non solum peritonæi ulcera mundificata , verum etiam intestinum jam ulceratum , quod faeces jam e vulnere egressæ ad nauseam usque manifestaverunt , iterum consolidata fuisse , exemplo feminæ , quæ a tali peritonæi hydrope convaluit , a CHOMEL Mem. de l' Acad. des Scienc. 1728. p. 419. memorato , probatur , quamvis CHESELDEN Anatomy of the Human Body p. 149. talia subiecta , quæ a putrefactis aquis peritonæum partesque reliquas contiuentes ulceratas habent , non amplius curari posse , autumet . Quod subiecta , quibus aquæ nondum computruerunt , nec peritonæum erosum fuit , hunc morbum evaserint , illa de qua NUCKIUS l. c. p. 114. aliaque de qua BARTHOLINUS Act. Hafn. Vol. I. p. 195. sermonem facit , quæ perperam ovarii hydrope , uti author voluit , sed potius peritonæi hydropisi laboravit , rusticus quoque , quem RIVERIUS Obs. commun. Opp. p. 582. citat , exempli loco existit . Felici vero curæ

Quarta indicatio colophonem imponere debet , quod externe ligatura abdomen arctando , quo agglutinatio & tonus peritonæi restituatur , & interne dia lia sub forma alcoholis , pilularum , croci , Ræ , aut +dularum , vel decocta vulneraria propinando , quo recidivæ anfa præscindatur , peragetur .

## §. XXI.

## §. XXI.

Ut vero citius ad exoptatum finem morbi nostri cura deducatur, diaëticus etiam fons non negligendus est. Aliamentis ergo eupeptis, oleribus teneris, ægra vescatur, carnis junioribus, vel assatis, vel bene coctis, utatur, vinum vetus, album, cum juniperi baccis aliquot injectis magis diureticum redditum, sub initio morbi, &, sub ejus finem, roborandi scopo, rubrum potet, acidulis vinum suum etiam temperet. Si vero febris concurrit, removendo carnem, & interdicendo sibi vinum, solis jusculis & prisaniis aperientibus contenta vivat. Motum corporis quotidie, vel pedibus eundo, quando fieri potest, vel rheuma vehendo, in aëre siccо & sereno instituat, desidiumque & somnum nimium sedule fugiat. Alvum, si non obediatur, per clysmata liberam reddat. Animi pathemata, præcipue tristitiam eviter, semperque hilaritatem animi sectetur. Hæcce commendata etiam omnia ad huncce morbum præcavendum optime proficia erunt, imo simul hoc a gravidis mulieribus adhuc observandum est, ut V. Snes sæpius durante hocce suo statu administrent, sic enī superfluus sanguis, peritonæum alias obruturus, ejusque vasa distenturus, evacuabitur, sique per reliqua diaëtica auxilia circulum & fluiditatem sanguini lymphæque, & tonum solidis, tam universi corporis, quam peritonæi, conservabunt, sic optime etiam hunc morbum præcautum iri, confidimus.



Strassburg, Med. Diss., 2.

ULB Halle


004 194 284

3



Sb.





8

B. C. D.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
**HYDROPE**  
**PERITONÆI**  
QVAM  
GRATIOSÆ FACVLTATIS  
MEDICÆ  
ARGENTORATENSIS CONSENSU  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA,  
RITE CONSEQUENDI  
SOLENNI MEDICORUM EXAMINI SUBJICIT  
**JOHANNES FRANCISCUS**  
**ADOLPHUS BLAW,**  
FRIBURGENSIS BRISGOUS.  
AD DIEM 10. JUNII A. O. R. MDCCCLII.  
H. L. Q. S.

---

ARGENTORATI  
Typis HÆREDUM PAUSCHINGERIANORUM.

